



# Theses juridicae inaugurales

<https://hdl.handle.net/1874/321493>

21

THESES  
JURIDICAE INAUGURALES

QUAS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HERM. JOH. ROYAARDS,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO.

*Pro Gradu Doctoratus*

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

WESSEL ALBERTUS HENNY,

Zutphaniensis.

DIE XXVIII M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLIX, HORA II.

---

TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD J. A. VAN WOESTENBERG.

MDCCCLIX.



---

I.

Qui pro minore fidejussit non utitur beneficio in integrum restitutionis quod minori tribuitur.

II.

Si testator rem quam scivit sibi cum alio communem simpliciter legavit, tota res legatario debetur.

III.

Venditori non ignoranti rei venditae justum pretium non competit remedium *legis 2 C. de resc. vend.*

IV.

Jus civile Neerlandicum non agnoscit culpam levissimam.

V.

Pater inops, qui plures habet liberos locupletes, unum ex illis in solidum ad alimenta praestanda convenire potest.

VI.

Maritus adesse sive opem praestare debet uxori, quae in criminali persecutione etiam ad indemnitatem convenitur ab illo qui delicto ab ea perpetrata est laesus.

VII.

Domicilium legale quod minor habet secundum art. 78 Codicis Civilis non jure cessat, si major factus sit.

VIII.

Is qui in pariete suo cui vicini adjacet fundus, per triginta annos habuit fenestras contra dispositiones art. 693 sqq. Cod. Civ. positas, quibus lumen hausit, eo ipso luminis servitutem acquisivit, ideoque vicinum impedire potest quominus altius tollendo lumen plane obscurat. (Contra TOULLIER III, n<sup>o</sup>. 534.)

IX.

Honoris et existimationis laesio lege non resarcitur pecunia.

X.

Qui debitum creditori solvit et deinde, solutione non in-

vocata, ad idem debitum solvendum condemnatus, iterum solvit, priore apocha reperta, conditione indebiti solutum repetere potest.

XI.

Institutio procuratorum (procureurs), ut sese habet in patria nostra, supervacua et nocens est.

XII.

Legatarius qui, intra annum post testatoris decessum, heredes in jus vocat ad legatum praestandum, non collective eos citare potest domi defuncti.

XIII.

Ex articulo 644 initio, Cod. de meth. proc. in caus. civ., non sequitur judicem semper et omni casu nullitatem incarcerationis pronuntiare oportere, quando una alterave ex formis lege praescriptis est neglecta.

XIV.

Decoctor admittendus est ad jusjurandum praestandum ut petitionis a curatore institutae confirmetur veritas.

XV.

Mercator cui concessum est beneficium dilationis solutionum quod *surseance* dicitur, eo pendente, non persequendus est ut malae fidei decoctor (bankbreukig).

XVI.

Non adsentior viro ampl. DE BOSCH KEMPER dicenti (Wetb. van Strafv. II, 192 sqq.) licere aperire epistolas institutioni publicae quae dicitur *brievpost* commendatas ad crimen detegendum.

XVII.

Conatus bigamiae puniendus est secundum Codicem Poenalem.

XVIII.

Qui aedes suas, quamquam adsecuratas, incendit, non tenetur art. 434 Cod. Poen.

XIX.

Testes, qui sine jurisjurandi praestatione secundum legem audiuntur, incidunt in art. 361 sqq. Cod. Poen., si coram tribunali falsum dederint testimonium.

XX.

Lex 14 Martis 1819 de tribuendis litteris maritimis (*zeebriev*) nocet structurae navium in patria nostra.

XXI.

Leges officinas (*fabrieken*) protegentes magis nocent quam prosunt.

---